

CAPITVLATIONES  
IMPERATORVM  
ET REGVM

ROMANOGERMANORVM,

CAROLI V.  
FERDINANDI I.  
MAXIMILIANI II.  
RVDOLPHI II.  
MATTHIÆ,  
FERDINANDI II.  
FERDINANDI III.

CVM ANNOTAMENTIS  
IOHANNIS LIMNÆI.

*Editio altera Indice locupletata.*



ARGENTORATI,  
Typis & Sumtibus FRIDERICI SPOOR

M. DC. LVIII



# PRAELOQVIVM.

**N**on dubito, quin certus sis, candide Lector, de meo in utilitatem publicam tuamq; sincero affectu: certe utramque conatu, opera, & opere, totis viribus hucusque promovere studui. Testes habeo libros, quos *de Iure publico* conscripsi, & in lucem edidi, quibus nunc addo praesentem auctarii loco, ut discas, me studium haud remisisse. Non quidem iam primum Capitulationes Imperatorum, & Regum Romanogermanorum, explicare aggredior, sed quod antea generaliter fere à me factum, specialiter, per singulos singularum capitulationum articulos, extendere, mihi cordi curæque fuit; ita ut ubi opus visum, etiam nonnulla, quæ pridem à me dicta, brevibus reiteraverim. Hoc ne ægre feras, tua te admonabit humanitas, & vetusti adagii tenor, *δὲ τρεῖς τὰ καλά.* Cæterum boni consule, & incitamento eris, ut *Notitiam Regni Francia*, quam sex libris comprehendi, tibi propediem, in hostimentum, offeram.



IOHANNIS LIMNÆI  
ANNOTAMENTA

Ad

CAPITVLATIONES  
IMPERATORVM ET REGVM  
ROMANOGERMANORVM,

CAROLI V.  
FERDINANDI I. & C.

PROLEGOMENA.



**I**N Imperio Romanogermanico ab antiquo, receptum, hæctenusque usitatum fuit, in electum Imperatorem, vel Regem Romanorum, administrationem Reipublicæ non nisi certis conditionibus transferre, ad eoque potestatem eius temperare, ut aristocratiæ, quam Elector Moguntinus, ubi post mortem Maximiliani I. de eligendo Imperatore cum Collegiis consultabat, omnino retinendam censuit, salva permaneat. Condiciones istas Imperator omni se studio observaturum, iureiurando promittit, & in scripturam redactas reiteratæ obligationis causa subscribit: Capitulatio hodie dicitur illis, qui latine rem exprimunt; Germanis Capitulation.

SECTIO I.

- |                                                         |                                                                 |
|---------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------------|
| 1. Nomen Capitulationis peregrinum est, non Germanicum. | 10. Sed barbarum.                                               |
| 2. Capitulare, quid sit apud Latinos?                   | 11. Capitulatio dicitur à capite.                               |
| 3. Quid capitulata?                                     | 12. Capitulum pro Concilio.                                     |
| 4. Capitulare, quid significet apud Italos?             | 13. Capitularia, id est, leges.                                 |
| 5. Quid capitulatione?                                  | 14. Capitulum pro loco, ubi congregantur Canonici.              |
| 6. Quid Capituler apud Gallos?                          | 15. Capitulum pro Canoniorum collegio,                          |
| 7. Ruid Capitulations?                                  | 16. Ab Canonici congregatis.                                    |
| 8. Galli utramque hanc vocem habent ab Italis.          | 17. Einem Capitel, oder ein Capitel setzen unde est quid?       |
| 9. Capitulatio, non est vocabulum Latinum.              | 18. Germani olim non usi vocabulis, Capituliren & Capitulation. |